

Norton, Samuel. *Catholicon physicorum, seu Modus conficiendi tincturam physicam, & alchymicam à veteribus philosophis adeò sollicitè quæsitam, sed à nullo adhuc mortalium, seu priscorum, seu recentiorum plenè ac perfectè traditam ; una cum ejusdem tincturæ accurtatione. Olim à Samuele Nortono Bristollensi inchoatus : nunc verò editus labore & industriâ Edmundi Deani angli med. D Eboracensis medici, auctior & perfectior. Cui accessit Ramus triplex de compositione lactis virginis, seu aceti philosophorum. Autor incertus, hic lapis triangulus est in esse, quadrangulus in qualitate.*

Francofurti, typis Caspari Röteli, impensis Guilielmi Fitzeri, anno M. DC. XXX., 1630.

Cote : BIU Santé Pharmacie RES 1:1112(2)

Licence ouverte. Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?pharma_res011112x03

2 CATHOLICON PHYSICORVM, (2)

SEV

MODVS CONFICIEN-

DI TINCTVRAM PHYSICAM,

& Alchymicam à veteribus Philosophis adeò sollicitè
quæsitam, sed à nullo adhuc mortalium, seu priscorum,
seu recentiorum plenè ac perfectè traditam; vna cum eius-
dem Tincturæ accurtatione.

Olim à

SAMVELE NORTONO BRISTOL-
lenſi inchoatus;

Nunc verò

editus labore & industriâ

EDMVNDI DEANI ANGLI MED. D

Eboracensis Medici, auctior & perfectior.

CVI ACCESSIT RAMVS TRIPLEX DE

compositione Lactis virginis, seu Aceti

Philosophorum.

Autor incertus,

HIC LAPIS TRIANGVLVS EST

in esse, quadrangulus in qua-
litate,



FRANCOFVRTI,

Typis Caspari Rötelij, Impensis Guilielmi Fitzeri,

Anno M. DC, XXX.

CATHOLICON PHYSICORVM

MODVS CONFICIENDI

DI TINCTVRAM PHYSICAM

& Alchymicam a veteribus Philosophis abdo. Illius

quibusdam in hunc morem tractantibus

hinc hinc tractantibus

SAMVLE NOTTONO BRISTOL

editi

Novis

editis labore & industria

EDMUNDI DEANI ANGLI MED D

Edocentis Medicis, auctor & professor

CUI ACCESSIT RAMVS TRIPLEX DE

compositione Lactis curguri seu de

Phosphorus

Aurum incertum

NICOLAS TRIANGVLVS EST

in esse quadrangulus in omni

hinc



FRANCORVM

Typo Caspari Rorij, Insuper Guilielmi Fitzeri

Anno M. D. C. XXX.



REVERENDISSIMO IN CHRIS-
 TOSTO PATRI SAMVELI EBORACENSI
 Archiepiscopo, Angliæ Primati, & Metropolitano, &
 Caroli Regis magnæ Britaniæ Franciæ &
 Hiberniæ à secretioribus
 consiliis.

GRAVISSIME PRIMAS,



Elebrem Medicinæ artem qui investigarunt primi-
 tuis, nil magis habuisse in votis autumo, nostrâ quàm
 vt vitam iis redderent ærumnis vacuam, quibus illi
 miserè, vexateq; nimum viderunt esse implicatam.
 Fœlix, faustumque nobis quod optabant sæpiusculè,
 non tam assequerentur facilè, quàm relinquebant
 opportunè; ac si primæua illa antiquitas dedecori sibi fore duxit, ea
 posteritati non tradere, quæ sciebant ad salutem remedia, sine quibus
 posteris deesset ad officij obeunda munia. Profectus, quos indies na-
 cti sunt fœlices, viteriores ad conatus acuebant animos, nec iam vitæ
 solummodò humanæ grata spectata est incolumitas, nisi & in eadem
 vita optata adferatur homini diurnitas. Hinc Catholicon istud, seu
 vniuersale Remedium primò excogitatum, quod Tincturæ physicæ
 nomine vniuersi appellarunt Spagyrici; quam si forsan indagantes,
 affecuti sunt aliquando, nescio tamen, an de ea (vt de Æneide Anchi-
 ses) ausim dicere:

*Ostendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
 Esse sinent: nimum vobis Romana propago
 Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.*

Negandum non est, plurimos huius in indagatione insudasse Chymi-
 cos,

A 2

cos,

cos, nempe Hermem Trismegistum, Ægyptium; Orum, Græcum; Haly, Arabem; Albertum Magnum, Germanum; plerosque alios, quanquam & hîc, vti in rebus arduis plerumque euenit: Aliquid reperitur semper, humanæ quod obstat fœlicitati. Ego, qui vel sudores Artistarum plurimi facio, me accingo ad opus, eorum studia, & progressus circumspicio, & reuera quæ illi probabilia, ego itidem confidenti animo certa ausim prædicare & sincera. Temporum essem, & rerum valdè ignarus, nescirem varia in quàm iudicia, vocesque disparer nostrum hoc incurrat studium. Nil apud me cogito sæpius, quam quod Solon ille apud Plutarchum: Omnibus, in magnis difficile est, placeas. Te igitur peto (Amplis. Præsul) nomenque tuum, vt exeat hoc opusculum sub tuæ dignitatis patrocinio. Ita enim fore confido, vt quum præ oculis habeant solùm, quod inuideant maleuoli, non inueniant tamen, quod vituperent curiosi.

Amplitudinis, & Reuerentia tuae

Deuotissimus

Edmundus Deanus.

Tabula,

Tabula siue Ramus Arboris
physica et Alchymica.

philosophicæ de Tinctura

Scutum colorum



Colores septem.



temitate

Medicina



Fermentatio.

Lapis.

Putrefactio.



Fit Virtus

In
Solutio Aquilæ
glutinis.

Solutio Leo-
nis rubei in San-
guinem.

Aquilæ gluten.



Leo rubeus.

1. Corpus.

Spiritus. 2.



Plumbum Philosophoru.

Gene.

Generalis antiquorum mihi crede philosophorum cohors hoc maximum secretum semper celauerunt, nec eorum quisquam aliquid de eo scripsit, vel vllum vnquam verbum huius processus protulit.

Lili. Si legas itaque omnes eorum philosophorum libros, nunquam inuenies, quid Lili significat. Tam parci enim eius nominis fuerunt, vt ex Hermetis tempore, qui primus huius artis lator extitit, vnus tantum eorum erat, à quo semel recepi nomen Lili tactum: is solus erat Haly.

Tres modernos legi philosophos, qui aliquantulum apertius rem acu tetigerunt, eamque planius expresserunt. Quorum primus est Raymundus Lullius, de quo sic dicitur:

Raymundus Lulli: claudens sua dogmata nulli:

**Plumbū
Philoso-
phorum.**

Is in Epistola sua Regi Ruperto scripta his vtitur verbis: Scire debes, o Rex, quod ex plumbō philosophorum extrahitur quoddam oleum aurei coloris quoddam oleum aurei coloris, vel quasi: cum quo si Lapidem mineralem post fixationem primā sublimaueris tribus, vel quatuor vicibus, vel diebus, excusabit te ab omni labore solutionum, & coagulationum. Ratio est; quia hoc est oleum occultum, quod facit Medicinam penetrabilem, & amicabilem, & cōiungibilem omnibus corporibus, & augmentat eius efficaciam vltra modum, sic quod in mundo non est secretius eo. Vnde mirabilia dico, quæ omnibus antiquis philosophis incredibilia forent; scilicet, si sciueris oleum hoc abbreviare, vel ab aqueitate separare, & laboraueris in modo mixtionis iam dictæ, poteris in 30. diebus Lapidem componere.

Sæpè igitur mecum in mente reuoluebam, quidnam hoc philosophorum plumbum sibi voluerit. Ego enim illud pro Saturni prole sæpius iudicaui; sed cum ad distillationem peruentum erat, non respondebat voto: idèo altiùs quærebam.

**Antimo-
nium.**

Tandem autem mihi fors erat perlegere nobilem eum modernum Gallicum, Rupescissam. Is secundus fuit, qui rem apertè enarravit, & non me solummodò docuit, sed quotquot eius erant lectores. Ab eo enim didici, & sciui, quòd Hispanus miles per plumbū philosophorum Marchesitam plumbeam intellexit. Quā marchasitam Rupescissa Antimonium appellabat; & etiam Aristotelis verba explanans

planans in lib. de Secretis secretorum, dicit illud esse plumbum suum, licet non nomet nomine Antimonij.

Quod mihi magnoperè complacuit, & experiri incepti, & illud in aceto distillato soluebam, & distillabam, sed exiuit mus ridiculus: & sic haud citius expertum, quàm erratum. Nam putabam acetum distillatum fuisse Acetum philosophorum, quod prius non noueram. Sed postea sciui cum eorum Aceto quintam Antimonij Essentiam extrahere, de qua breui in hac Tabula siuè Ramo loquuturus sum.

Nunc ad tertium venio modernum, nempè Paracellsum. De his tribus, & etiam de quattuor, nempè propria meimet experientia, totum huius operis ædificabo fundamentum.

Vocat Paracellsum Antimonium, Lili veterum; appellat etiam Leonem rubeum, & quod Rupe scissa Quintam vocat essentiam, vocat ille Leonis rubei sanguinem, ac opus consummatum Tincturam Physicam: nos æquè Alchymicam fieri curauimus. Sic igitur cum Paracellso in propriis suis verbis opus aggredior.

Cum satis ergo (inquit) Tincturæ Physicæ subiectum declaratum sit, ut inter fratres duos vix fidelius queat, aut liceat præstari, præparationem eius nunc aggredi volo.

Quapropter dico; tantum rosei coloris à Leone sanguinem accipite, & ex Aquila gluten: quæ postquam simul coniunxeritis, iuxta veterum coagulate processum, Tincturam habebitis Physicam, quam infiniti quæsiuerunt, inveneruntque paucissimi.

Duo itaque, sicut modò ait, sunt corpora, ex quibus elicienda est hæc Tinctura Physica, nempè rosei coloris à Leone sanguinis, & Aquilæ gluten.

Sed quoniam Paracellsum in hoc suo libro de Tinctura Physica modum celauit componendi hunc sanguinem Leonis rubei, & quia idem mihi non arridet in sua Philosophorum Aurora, nec perplacet propter operis periculum, & nimis durum, ac difficile tractationis modum, ideò eius viam pro Leonis solutione relinquere decreui, & tam ex me ipso, quàm ex Rupe scissa modum solutionis indicare.

Quamobrem accipe, quantum Antimonij calcinati tibi placuerit, illudq; contere super marmor, donec fiat puluis sine tactu. Solutio Leonis rubei in sanguine. Quo facto, accipe Aceti Philosophorum (seu Lactis virginis) duplicem partem,

tem, & puluerem Antimonij pone intus in vase vitreato, & pone in fimum, aut in balneum 7. dierum spatio. Postea pone Antimonium cum Aceto in Cucurbitam in cineres super furnellum, & da ignem ita lentum, vt cineres calefactos posses in manu tolerare, donec Acetum coloretur in rubeum. Deinde Acetum coloratum, & rubificatum auferatur, & mundè ponatur ad partem; & de alio Aceto superponatur fœcibus, donec super modicum ignem etiam coloretur, & sic toties fiat, donec ibi Acetum non amplius coloretur. Et collectis Acetis sic coloratis, pone ea in balneo, vel potius in cineribus lentis distillanda cum suo Alembico, & distilla lento igne, & ascendet Acetum primò: deinde videbis miraculum stupendum, quoniam per rostrum Alembici videbis quasi mille venulas liquorum benedictæ mineræ descendere per guttas rubeas, sicut rectè esset sanguis. Quibus habitis, habeas rem, cui totus Orbis thesaurus adæquari non possit, sicut Rupescissa.

Iam habes Leonis rubei sanguinem secundum modum Rupescissæ. Paululum itaq; hic cessandum est, donec dictum fuerit de Aquilæ glutine. De quo Paracelsus sic inquit:

Mercurius. Arg. vi. Aquilæ gluten. Reduc Mercurium in eleuatione tantisper, donec in fixum crystallum exeat. Hæc est eius præparatio, & modus reducendi Mercurium in Aquilæ gluten.

Sed ego omnibus præcipio, vt eo vtantur modo, qui à me prius describitur in libro de Mercurio rediuuio, & in prima Tabula.

Solutio Aquilæ glutinis. Deinde, inquit prædictus author, in resolutionem, & coagulationem digere. Sed ego iterum meos iubeo eundem seruare solutionis ordinem, sicut ibidem etiam ostenditur.

Coniunctio. Nunc vt ad cõiunctionem veniamus; post horum duorum prædictorum solutiones necesse est, vt eorum recipias pondus æquale, simulq; in vase optimè obturato coniungito.

Putrefactio. Postquam ita coniunxeris, colloca Ouum vitreum in Athanore, vt in eo fiat putrefactio, vel alteratio per spatium aliquot dierum, (nempè 150.) Tum demum enim videbis, inquit Paracelsus (& ego illud verum probaui) mox atque Lili tuum in Ouo Physico fuerit excalefactum, admirandis apprens demonstrationibus, coruo nigrius fieri: cygno, postmodum successu temporis albius; & postremò
transiens

transiens per fluedinem, sanguine quouis magis rubeum euadere.

Putrefactum hoc, & in sulphur rubeum conuersum, pro Lapide ^{Lapis.} est accipiendum, & tunc adest tempus, vt fermentetur.

De cuius fermentationis modo sic loquitur Paracelsus: Eius libra primò super Solis fusi libras mille proicienda est. Medicina tum demùm præparata fuerit ad leprosum humorem metallorum transfutandum.

Hæc est eius fermentatio, quæ reuerà nihil aliud est, nisi proiectio corporalis prima. Sed si huic Medicinæ addaretur solutio sulphuris rubei Luminis rubei (sicut docetur in Tabula quarta libri de Mercurio rediuuio) vt Lapidi spiritali adiungeretur fermentum spirituale; esset in fortitudine multò magis penetrans, & fusibilis, sicut idem testatur Paracelsus in sua Aurora, vbi astrum, aut oleum Solis huic Lapidi adiunctum esse voluit.

Ego itaq; hoc impero, vt tribus huius Lapidis partibus vna pars ^{Fermentatio.} fermenti rubei adiungatur, vt fiat vera eius fermentatio. Et sic efficitur Tinctura Physica, & etiam Alchymica; cuius virtutis in laudem hæc profert Paracelsus.

Est itaque Tinctura Physicorum vniversalis medicina, morbos omnes instar ignis invisibilis, quomodocunq; illi nominentur, consumens. Dosis eius est valdè exigua; sed operatio potentissima. Per eam enim à me curata, sanataque sunt lepra, lues venerea, hydropisis, caducus, colica, gutta, similesque morbi. Lupus item, cancer, Noli me tangere, fistulæ, nec non genus omne internorum morborum, & certius quidem, quàm credibile sit.

In huius cõpositione fit Mercurius fixus & solutus, corpus; Leonis rubei sanguis, Spiritus; Fermentum rubeum, Anima. Et sic in trinitate fit vnitas Medicinæ, quæ dicitur Tinctura Physica, & Alchymica, per authorem nullum antehac collecta, aut scripta in vnum corpus. Quod iuro me nunc non fecisse, nisi quòd aliter huius benedictæ Medicinæ compositio in æternam obliuionem caderet. Sit ideò cognitionis Authori à nobis, & omnibus aliis semper laus, qui tam magna sua Arcana perire non sinit

Corpus. 1.
Spiritus. 2.
Anima. 3.
In trinitate
fit vnitas
Medicinæ.
Tinctura
Physica, &
Alchymica.

Catholicon Physicorum.

B

MO-

*MODVS CALCINANDI ANTIMONIUM IN
Leonem rubeum.*

Accipe Antimonij benè triti, quantum vis, & super nudos carbones liquefacito in crusibulo cum sale armoniaco; & cùm liquefactum fuerit, iniicito subito in vas repletum aceto distillato, in quo priùs poneris sufficientem quantitatem prædicti salis. Sic ter liquefaciens, & iniiciens, tandem euacua acetum ab Antimonij calce: quam benè deficca, & subtiliter pulueriza, vt solvas more prædicto.

*TABVLA SIVE RAMVS ARBORIS PHILOSOPHICAE
tractans accertationem Leonis rubei cum Aquila glutine, iam pri-
mùm ex propria experientia exhaustus.*


Commemorandum est hîc præcipuè, quomodò priùs Antimonium cum Aceto Philosophorum acerrimo soluere docuimus. Quod benè etiam fieri potest cum Aqua nostra calcinatiua post Antimonij calcinationem, sicut in libro de Mercurio rediuiuo duo Lumina cum ea dissoluebamus. Memorandum etiam est, quid de compositione Aquilæ glutinis in dicto libro scripsimus.

Hiscè non oblitus, huic accertationi nullum alienum nunc attribuimus principium, nisi quòd vbi priùs accepimus Leonis sanguinem, & Aquilæ gluten, cùm eorum vterque occisi fuerint, iam ambos illos simul iunximus, vt viui seipfos mortificent, & soluant, quod corporale matrimonium, aut vnionem aptè appellauimus. Nam in hoc commoriuntur coniugio, vt in cœlesti viuificentur matrimonio.

Haud itaque mirandum, si ista Scala ab aliis differat: nam hæc ad spirituum tractationes pertinet: altera è corporibus Elixeris efficiendi modos docet, sicut ad principium libri de Mercurio rediuiuo videre licet, & etiam forsan posthàc in Tabula Martis. Ramum itaque nostrum iam demonstramus.

Tabula

Tabula, seu Ramus novus Arboris Philosophica de accurtatione Tinctura Physi-
ca, & Alchymica.



Matrimonium corporale.

VT igitur omnia tibi planissimè reuelemus, accipe Antimonij calcinati, & minutissimè triti libram vnam semis, & Mercurij sublimati eodem modo triti tantundem, eaque super lapidem marmoreum benè incera, vel tere, quousque vnum ab altero vix dignosci possit.

Solutio.

Tunc in loco frigidus deponelapidem, ita vt materia soluenda possit guttatim cadere in vas vitreum suppositum, donec ea totaliter dissoluatur (si id fieri possit) vel donec soluatur in aquam albam, & crassam. Nam cum materiae sint simul annexae, tum dicitur, quod vnum eorum alterum occidit, & ambo breuiter erint soluta. Aqua illa perfectè soluta, erit colore subviridis, & odore grauis.

Calcinatio.

Hanc aquam simul cum crassa sua parte claude in Ovo Physico, & stet sub igne in fixatorio calido trium dierum spatio; vbi breui inuenies totam massam solutam in fuscum, vel nigrum colorem, & postea in illo tempore praescripto colorem possidere rubeum, Minio paulò altiozem.

Hyatio.

Calcinatam hanc materiam dissolue in Aqua Raymundi calcinaria, donec eam totam habueris resolutam in liquorem rubeum, vel alitè glaucum. Tunc enim materiam benè hylasti, vt sic loquar. Nota tamen hic obiter, quod Hyle dupliciter accipitur. Primo, pro gumma dissoluti corporis; secundò, pro liquore corporum solutorum ante distillationem.

Separatio.

Nunc claude hunc liquorem in apto corpore cum suo Alembico adiuncto, & per distillationem separa Animam, Oleum rubeum, vel Mercurium rubeum à Corpore albo, quod in terra manet; & si materia subleuata ascenderit in caput Alembici, nè illam despicias, sed proba eius fixationem; quæ si non satis fixa fuerit per se, tantisper eam eleua in igne fixandam, donec habueris Corpus fixum.

Corporis, Animæ.

Matrimonium cœleste.

Cui adiungito æquale pondus suæ Animæ, & simul coniungito ad cœleste matrimonium. Nam semper relinquito terram in fundo, si Corpus habueris sublimatum, & fixum; sin minùs, accipe terram in fundo remanentem, cum qua procede, sicut priùs dictum fuerit, & simul coniungantur Corpus tuum album, & Anima.

Putrefactio.

Quibus sic coniunctis & nuptis, fac imprægnationem, vel viuificationem putrefaciendo in calido balnei gradu, donec omnes pertransierint colores, & in rubeum conuertantur sulphur: quod tunc Lapis est.

Lapis.

De

De modis proliciendi, fermentandi, & augmentandi tum quantitate, tum virtute satis antea enarratum habes in libro de Mercurio rediuiuo, & plura forsan habebis posthac in alio libro huic operi præsertim dicato.


AQUA RAYMUNDI CALCINATIVA.

Quia in isto opere mentionem fecimus Aquæ calcinatiæ Raymundi, ideò nos eam ferè incognitam hîc tibi revelabimus. Componitur autem ex Mercurio vegetabili, seu igne naturali, cum igne contra naturam, vt testatur Ripheus, & illud etiam magis verificatur per Raymundum lib. Mercuriorum, vbi docet corpora dissoluere cum Aqua sua calcinatiua.

Nota itaque, quòd Mercurius vegetabilis est vini Spiritus (in cuius loco aliquandò vti possumus aceto distillato) & quod ignis contra naturam est aqua corrosiua ex sale petræ, & vitriolo facta. Accipe igitur Spiritus vini rectificati (vt Raymundinis verbis vtar) pedes duos, id est, libras quatuor, & aquæ corrosiue pedem vnum, nempe libras duas; Misce.

Tabula, siue Ramus triplex Arboris Philosophicae de compositione Lactis Virginis, seu Aceti Philosophorum acerrimi.

EXP



Scut: Color:



alb:
vir.
rub:

Colores tres.

Ramus

Ramus medius.

Ramus

Quoniam

Quoniam in libro de Mercurio rediuuo, ac etiam in isto sepè mentionem fecimus Lactis Virginis, & Aceti Philosophorum acerrimi, ideò huic libro hunc Ramum, triplicem eius Lactis, siuè Aceti viam tractantem adiungere æquum censuimus: Non vt eius secretissimam compositionem hîc edoceremus, quam publici iuris fieri nolimus, sed potius, vt, nobis admonentibus, operatores omnes intelligât, quantis versantur in tenebris, qui vero huius artis lumine destituuntur, vt posthac desinant oleum, & operam simul malè perdere, & postea despe diuite amissa inaniter conqueri.

Modus enim componendi Lacistud ab omnibus antiquioribus philosophis est celatus, tanquàm secretissimum eorum secretum; quia est maximum totius artis Arcanum, & totius artis Clavis, sine qua nihil in hac arte effici potest, & sine qua nulla potest esse nec perfectior, nec imperfectorum corporum solutio; quæ omnium operum est opus primum, & sine qua corpus nullum in primam suam essentiam reducere possumus; nempe aquam, quæ liquor est inseparatus, qui Hyle, siue Chaos dicitur, in quo separabilia latent elementa.

Sine huius lactis, seu Aceti effectu nihil soluitur, distillatur, putrefit, congelatur, coagulatur, deniq; nec in Lapidem, nec in Elixer conuertitur queat: Nam qui soluere nescit, componere nequit, nec huius cognitionis, vel artis particeps fieri vnquam potest.

Huius Aceti ignorantia, de quo nullus veterum apertè scripsit, omnes modernos fetellit operantes; adeò vt, durante vita, in vanum prorsus laborauerunt, & huius scientiæ intellectum nunquam intrarunt. Quamobrem sine eo vanum est, aut Aurum, aut Argentum potabile quærere, vel vilius metalli siuè Hyle, aut Chaos, aut corporum, vel Luminum sulphura obtinere impossibile est.

Multi de eo locuti sunt Philosophi antiqui; quorum vnus, nempe Scites, in Turba Philosophorum sic inquit: Scitote omnes scientiæ investigatores, quod huius artis fundamentum, propter quã multi perierunt, vnum quid est, quod omnibus rebus fortius, & sublimius, apud incipientes verò omnium rerum est vilius. Aquam hîc intelligit. Cui Pythagoras ait: Nomina ergo, ô Scites, hoc vnum. Et ille: Acetum acerrimum, quod facit aurum, merum esse spiritum. Hîc de solutione fermenti rubei loquitur. Postea ait: Sine quo nec albedo,
nec

nec nigredo, nec rubedo consistit. Per quæ verba Luminis rubei putrefactionem intelligit. Et de coniunctione corporali, nempe Spiritus cum Corpore suo sic inquit: Et scitote, quod cum corpori miscetur, continuetur & vnum fit cum eo, & vertit ipsum in spiritum, & spiritali tingit tinctura, invariabiliq̄ue; rursus à tincto tincturam accipit corporalem, quæ nunquam deleri potest.

De quo quidem Geber sic scribit: Aceti autem acerrimi cuiuscunq̄ue genera subtiliantur, & depurantur, & illorum virtus, siue effectus per distillationem melioratur: de quorum mundatione, & depuratione sufficienter tractauimus, cum quibus corpora imperfecta preparari possint, & depurari, & meliorari, igneque semper debito mediante.

Sed eius compositionem necis, nec eorum quisquam docuit, except. &c. Plura nunc de eo scribere non lubet, nec fere licet. Reliqua in aure Magistri dicenda sunt. Et hætenus de Lacte Virginis, seu Aceto Philosophorum scripsisse sufficiat.

F I N I S.